

(1269) 1270, gener, 30

*L'abadessa de Sant Daniel, Berenguera, firma a Guillem de Pedró, de Canet d'Adri, una feixa situada a Canet, indret del Pla de les Feixes, comprada a Pere Gil de Canet, a cens de dos diners, per 35 sous.*

ASD núm. 206, perg. orig., 185 x 200 mm, carta partida. Notum sit cunctis quod ego Berengaria, Dei gratia abbatissa monasterii Sancti Danielis, per me et omnes successores meos laudo, approbo ac concedo tibi Guilielmo de Petrono, parochie Sancti Uincencii de Caneto et tuis perpetuo totam illam fexiam terre integre que tenetur per dictum monasterium nostrum in loco uocato Plan de ses Fexes in parrochia antedicta, et quam Petrus Egidius de Caneto tibi uendidit pro alodio francho precio .ccLXX. solidorum barchinonensium de temo, ut in instrumento inde confecto noscitur contineri; et licet dictus Petrus Egidii tibi dictam fexiam pro francho alodio uendidisset, tenetur et teneri debet per monasterium antedictum. Affrontat autem dicta fexia ab oriente et a circio in honore tuo, a meridie in honore mansi de Rouira et mansi de Sobrerocha et ab accidente in honore mansi de Roure et mansi de Carraria. Predictam siquidem fexiam, cum ingressibus et exitibus et cum omnibus pertinenciis et tenedonibus suis et cum omnibus melioramentis et augmentis factis et de cetero faciendis, sic tibi et tuis laudo et concedo ita quod predictam fexiam teneatis tu et tui per me et dictum monasterium Sancti Danielis ad omnes tuas tuorumque uoluntates perpetuo faciendas, saluo iure meo et dicti monasterii in terciis, laudismiis et omnibus aliis foriscapiis. Tu uero et tui dabis mihi et successoribus meis pro agrariis duos denarios barchinonenses de temo in festo Natalis Domini annuatim. Et propter hoc laudamentum et concedimentum recognosco a te recepisse ad bonum et utilitatem dicti monasterii triginta et quinque solidos barchinonenses monete de terno, renunciando excepcioni non numerate pecunie et doli. Et ego Guilielmus de Petrono predictus, laudans et concedens hec omnia et singula supradicta, promito sub obligatione omnium bonorum meorum uobis domine Berengarie supradicte predictos .n. denarios uobis et successoribus uestris soluere in dicto termino annuatim et omnia alia attendere et complere, ut superius est expressum.

Actum est hoc .m. kalendas februarii anno Domini .MCCLX. nono.

Sig+num Guilielmi de Petrono predicti, qui hoc firmo et laudo. +Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis abbatissa. Huius rei testessunt Berengarius de Cistella clericus et Arnallus de Costarapida.

Sig(s. man.)num Bernardi Raphael, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii, cum suprascripto in .xn. linea, ubi dicitur "monete". Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 434-435